

*materia Ecclesiasticorum Rituum, Civitatibus inferioribus exemplar esse debet.*

88 89 De Unica Cruce afferenda in Funerib. vide allegat ab Ursaya *T. 5. p. 2. d. 25. a n. 34.* Psalmi qui in Processione Funebris cantari debent, sunt jam infra in Rituali prascripti, et de illis suo loco dicemus. Modo dicendum est, praecipui in nostro Textu, ut vere cantentur. Communiter loquendo solent recitari sine cantu, et cum voce gravi, nec festinanter; sed si cantari velint, poterint in tono secundo Gregoriano decantari, qui tonus est caeteris lugubrior. S. Basilius *Orat. in Julian. de funere Constant.* haec ait: *Inter efferendum, luminaria, et cerei accensi deferebantur, et Psalmi modulis lugubribus et luctu permixti canebantur.* Cantantur itaque isti Psalmi in defunctorum Exequiis, ad agendas Deo gratias, ut illum, qui e vita decessit, jam a laboribus liberaverit, et metu mortis exemptum apud se habeat immarcessibili ornaturus corona. Habetur insuper ex *c. qui divina, c. ubicumque* 13. q. 2. quod Sanctimonialia, dum Defuncti corpus efferebatur, psallere antiquitus, et cantus sonosque promere solent.

90 In hac Processione Parochus cunctos praecedat, ut docet Textus, verbis illis: *Parocho praecedente feretrum.* Quidquid disputent inter se circa praecedentiam tum Regularium, tum Confratrum, et aliorum associantium Cadaver, Sacrorum Canonum expositores, semper inconcussa, et incontrovertibilis remanet haec Parochi praecedentia, quia ipse est, qui Cadaveris Dominus, et Rector vocatur, Corsett. *Ind. Rational.* Atque ita, et taliter primum locum tenere debet, ut in illa Processione nulla alia Persona inter eum intercedat, et Feretrum cum Cadavere, donec suum jus circa illud perduret.

91 Rursus quando Textus dicit, *cum luminibus:* intelligi debet de intortitiis, quae circa Cadaver accenduntur, et a Confratribus, seu aliis associantibus deferuntur. Parochus enim de consuetudine neque Candelam, neque Intortium accensum in manibus habere debet.

## EXEQUIARUM

ORDO.

### TITULUS DECIMUS.

#### SUMMARIUM PRIMUM.

- 1 Comitantes funus multi esse possunt.
- 2 Ecclesiastici soli debent antecedere, non subsequi.
- 3 Qui sequuntur Feretrum nihil dicunt.
- 4 Astratti seu Piagnoni prohibiti.
- 5 Praeficae subsequentes funus prohibita.
- 6 Cadavera possunt deferri in curru nobili sine Cruce, et Parocho.
- 7 In Villis possunt deferri in Plaustro usque ad fores Ecclesiae.
- 8 Cadaver aspergi debet Aqua benedicta in domo.
- 9 Si adsit Capitulum, Aspersio spectat ad primam dignitatem.
- 10 Rationes hujus Aspersiois.
- 11 Psalmus *De profundis*, quare assignetur in Exequiis?
- 12 *Requiem aeternam* Versiculus, a quo institutus?
- 13 Cadaver affertur in Feretro.
- 14 Non omnes qui elevant Feretrum, illud portant.
- 15 Personae digniores illud primo elevant.
- 16 Ductor itineris in Processione funebri debet habere aliquam mercedem.
- 17 Psalmi cantari non debent cantu Gregoriano.
- 18 *Exultabunt Domino*, Antiphona praeliminaris Processioni.
- 19 Psalmi Graduales cur ita appellati?
- 20 Primi quinque dicuntur pro defunctis.
- 21 Alii quinque dicuntur pro nobis.
- 22 Postremi dicuntur pro omnibus fidelibus.
- 23 Omnes pro suffragio Defuncti recitantur.
- 24 Dicitur *Requiem aeternam dona ei*, non eis.
- 25 Cantu Gregoriano non canendi.
- 26 Musicus cantus in associatione Cadaverum prohibitus.
- 27 Campana sonat dum effertur Cadaver.
- 28 Campanae dicuntur Praedicatorum species.
- 29 Quare detur iste sonus?
- 30 Campana dignior denotat majorem dignitatem Defuncti.
- 31 Quando inchoari soleat sonus pro funere?
- 32 Parochus dare debet ultimum Vale Cadaveri.
- 33 Capitulum potest ingredi Ecclesias Regularium.
- 34 Absente Capitulo, Parochus nullum habet jus in Eccl. Regularium.
- 35 Ultimum Vale fit cum Aspersorio. Decr. de ferenda Stola et erigenda Cru-

- ce, et ingrediendo Ecclesiam vel non. Quarta funeralis quomodo distribuenda?
- 36 Psalmi terminari debent ad fores Ecclesiae.
  - 37 *Subvenite, etc.* debet dici Cantu Gregoriano.
  - 38 Qui sepeliuntur in Eccl. Regul. non sunt prius deferendi ad Eccl. Paroch.
  - 39 Cadavera collocari debent in medio Ecclesiae.
  - 40 Si adsit impedimentum, alibi collocari possunt.
  - 41 Cadaver exponitur regulariter in Feretro.
  - 42 Insignia gradus ponenda cum Cadavere.
  - 43 Stemmata gentilitia ponenda circa Cadaver.
  - 44 Cadaver deponi potest supra humum.
  - 45 Culcitra pro Cadavere an debeatur Ecclesiae?
  - 46 Cadavera quandoque extolluntur in altum.
  - 47 Cerae ardentes semper esse debent.
  - 48 Post ultimum Psalmum Officii incipi debet Missa.
  - 49 Varias temporis congruentias circa funus.
  - 50 Si Exequiae non fiunt de mane, Cadaver sepeliatur.
  - 51 De nocte Cadaver in Ecclesia custodiri debet.
  - 52 Cadaver non debet stare sine lumine accenso.
  - 53 Oratio funebris habenda post Missam.
  - 54 Oratio funebris quo habitu recitanda?
  - 55 Planeta unice ad Altare adhibenda.
  - 56 Pluviale sumendum pro Exequiis.
  - 57 Si non adsit Pluviale, Sacerdos remanet cum Alba, et Stola.
  - 58 Cenotaphium est funus Imaginarium.
  - 59 In quo loco stare debet Sacerdos. dum fiunt Exequiae?
  - 60 Crux ad caput Defuncti semper erigenda.
  - 61 Clerus adstare debet cum candelis accensis.
  - 62 Si Cerei non distribuuntur, Clerus stet in Choro.
  - 63 *Non intres in Judicium, etc.* Recitatur praesente Cadavere tantum.
  - 64 Incensi immissio in Thuribulum anticipanda. Modus incensandi.
  - 65 *Pater noster intonatur* alta voce, et recitatur sub silentio.
  - 66 Aqua Benedicta habet correlationem cum Thure.
  - 67 Thus Cadaveribus quid praestet?
  - 68 Confutatio Haereticorum circa Incensum.
  - 69 Familiae antiquitas purgabantur suffitionibus.
  - 70 Oratio assignata pro Thure.
  - 71 Caeremonia Incensi servari debet.
  - 72 In Missa pro vivis cur omnes thurificentur, et non in Missa Defuncti?
  - 73 Incensum pro Defunctis ad benedicendum.
  - 74 In Oratione exprimitur nomen Defuncti etiam Sacerdotis.
  - 75 Feretrum dum ducitur ad sepulchrum, manibus tantum attollitur.
  - 76 Si Cadaver post Exequias non sepeliatur, custodiatur in loco tuto.
  - 77 Sepulchrum benedicendum, si nondum benedictum sit.
  - 78 In Coemeteriis sepulchra non benedicantur.
  - 79 Sepulchra in Ecclesiis quomodo construenda?
  - 80 Incensatur, et aspergitur prius corpus Defuncti, inde sepulchrum.
  - 81 Formula Sacramentalis Brixinen. pro benedicendo sepulchro.
  - 82 Dilatio sepeliendi Cadaver non debet interrumpere Officium.
  - 83 Oratio dicenda si Cadaver mulieris sepeliatur.
  - 84 *Anima ejus, etc.* non dicitur in Commem. omnium Defunctorum.
  - 85 Post sepulturam unius fidelis, Ecclesia recordantur omnium fidelium.
  - 86 Preces dicendae in transitu de Coemeterio ad Ecclesiam.
  - 87 Non est sistendum ante Altare pro dicendis precibus.
  - 88 Pro Sacerdotibus Defunctis fiunt preces particulares.
  - 89 Exequiae compendiosae pro temporis angustia.
  - 90 Praevia Missa sepeliatur Cadaver.
  - 91 Dicenda est prout in die obitus.

1 2 Post feretrum plurimi esse possunt comitantes funus, juxta conditionem Defuncti, Dantur Ordines Militares pro Mili-

te; Familiares, et Famuli pro Viro Principe, vel Nobili vel in dignitate constituto; Artifices pro Artifice, atque alii pro aliis, qui associare possunt Defunctum post Feretrum, dummodo non sint Ecclesiastici, quia isti debent incedere in loco constituto, ante Parochum cum Clericis.

3 Omnes itaque superenumerati cum luminibus accensis, et habitu lugubri, possunt vel bini bini, vel ad libitum incedere post Feretrum, sed nihil canentes. Textus enim praescribit, ut orent utique Deum deprecando, sed *sub silentio*: unde apparet, quod flere debent, et in corde tantum flere, et orare, nec se conformare cum caeteris psallentibus, cum quibus nulla est ordinis Harmonia.

4 5 S. Carolus in *Act. Eccl. Mediol.* et cum eo multae Synodi Dioecesanae inhihent, et rigore prohibent, ne cum associantibus Cadavera immisceantur Astrati, seu *Piagnoni*, neque foeminae lugentes, seu Praeficae pretio conductae ad plorandum, de quibus fuse locutus sum in mea peculiari dissertatione *de Praeficis*, typis jam edita; ubi capite 13. quaestionem pertractavi: An usus conducendi Praeficas nostris temporibus vigeat, et an in Ecclesia Dei tolerandus? qua occasione multas SS. Patrum, et Conciliorum interdictiones attuli, arcentes hunc pessimum usum ab Ecclesia Catholica.

6 Mos erat, non adeo antiquus (egomet enim saepius testis fui) ut Defuncti nobiles in Curru luctuose cooperto, ad Ecclesiam deferrentur, sine Feretro, praecedente Cruce erecta, et Parocho cum luminaribus, et caetera, comitiva. Cum ad Ecclesiam pervenissent, Cadaver in sua Capsa obserratum, e curru trahebant pii Confratres, et in Feretrum reponerant, paratum ad fores Ecclesiae, ingrediebanturque Templum more consueto: quod aegre ferem Card. de Verme clarissi. mem. Episcopus Ferrariensis. ad vindicandam hanc indecentiam, edictum super hoc promulgavit anno 1705. et illud in sua Dioecesana Synodo inseruit, *ad capit. de funeribus, et sepult. §. in Feretro*; qua monitione hunc abusum adeo deformem extirpare studuit, ne amplius viderentur Parochi, et Religiosi Sacris Vestibus induti, cum Cruce elevata, inter medias psalmodias, et preces, praeire equis currum trahentibus; quod in posterum rigurose usque ad praesentes dies servatum vidimus. Si vero dignitas Defuncti exigat ut curribus associetur, incedant post caeteros associantes funus, sed vacui, dummodo Cadaver in solito Feretro praecedat. Quod si etiam pro aliquo insigni Viro, et in Eminentis dignitate constituto iste usus deferendi Cadaver in curru servari velit, laudabile erit si fiat absque associatione Parochi, sine Cruce, et sine Processione, quemadmodum anno 1727. die 3. mensis Augusti factum fuit, dum efferretur Cadaver Card. Patritii Ferrariensis Legati ad Ecclesiam Cathedralis ejusdem Civitatis, pro quo nullus ordo Processionis ius-

titutus fuit, sed in nobili curru repositum Cadaver, cum ad januam Ecclesiam pervenisset, Parocho ibi stanti cum Cruce elevata, una cum toto Canonicorum Capitulo, oblatum fuit, qui omnes illud e curru extractum susceperunt, ac in Ecclesiam statuto ritu, et precibus introduxerunt. Vide alia plura apud Matthaeum. *Off. Cur. Eccl. Cap. 48. num. 16. §. Nec obstat.*

7 Similiter Cardinalis de Verme superenarrata Synodo inhibuit, ut si ex necessitate in Villis ad Defuncti Cadaver humandum, contigerit illud in plaustro efferri Crux non extolleretur usque dum Cadaver prope locum, aut in rationabili distantia ab Ecclesia, e plaustro componeretur in feretro, vel modo decentiori asportaretur: tunc enim cum Cruce elevata, associatione, caeterisque caeremoniis in Ecclesiam esset deportandum: quod maxime cum sanctionibus Sacrorum Canonum concordat, et cum praescriptis in *Act. Ecclesiae Mediolan.* a S. Carolo Episcoporum speculo, et exemplo editis pro bono Ecclesiarum regimine, et Divini cultus splendore.

§. II. Parochus vero, antequam Cadaver efferatur, illud aspergit Aqua benedicta, mox dicit antiphonam: *Si iniquitates, etc.* et Psalmum: *De profundis etc.* in fine: *Requiem aeternam, etc.* repetit antiphonam totam: *Si iniquitates, etc.*

8 Hoc debet Parochus peragere sistens ad Feretrum Defuncti, postquam ingressus sit Domum, vel locum, in quo expositum jacet Cadaver, una cum aliquibus de Clero si adsint, ad hoc ut vicissim secum psallant. Et quoniam de Feretro verba habuimus, quaeritur cujus juris sit illud praestare? et Respondeo. De Jure inter Parochiales supellectiles Feretrum habere locum, nec dari credo Parochialem Ecclesiam, in qua totum jus residet, et radicaliter, funerandi, quae destituta sit hujusmodi loculo, expensis Parochi parando, cum culcita ad cooperiendum. In Pastoralibus visitationibus, Episcopi de Feretro praecipue quaerunt. Gavant. *Prax. compend. Visit. episc. §. 14. de Sacristia.* Pallium vero seu culcita pro Feretro, aut sumptibus Populi, aut Cleri fiat, cui ideo dari debet aliquid ab Haeredibus defunctorum juxta Taxam Episcopi. Provinc. 1. Gavant. *Manual. Episc. Verbo exequiae.* Item enumeratur Feretrum inter supellectiles Parochiales in Her. 4. his verbis. Feretrum unum. Feretra duo Insuper Her. 4. l. 1. c. 29. *Locus praeterea alius Sacristiae, aut caemeterio saltem propior in omni Ecclesia parochiali etc. apte extruatur, in quo Feretra etc. reponantur.* Ergo inter jura parochialia locum habet, et a Parocho haberi, et praestari debet pro delatione cadaverum. Sed quid si Confraternitates Laicorum, vel

Ordines Regularium Feretrum proprium commodare vellent, atque absque illo associationem cadaveris recusarent, tunc magis quando Cadavera humari deberent in eorum Ecclesiis, seu oratoriis? Dempsta consuetudine, quae ex dictis ad n. 1. in materia funerum multum operatur, semper stat jus favore Parochi pro praestando Feretro. Antiquitus enim Ordines Regulares, et Confratres carebant Feretro, quia sepeliendi jus non habebant in propriis Ecclesiis, sive Oratoriis (excipe Feretrum ad usum Fratrum pro Fratribus) Postea sepeliendi consuetudine, seu facultate apud illos introducta, non nisi pro associatione hoc permissum fuit: nulla enim mentio in illorum constitutionibus, et privilegiis sit de Feretro, quod pro Parochianis suis unice haberi debet a Parocho.

Si in hac quaestione Parochus constanti animo sistet, rem indicatam, et Resolutionem a sacra Congregatione obtinebit favore juris Parochialis. Renuant Regulares, renuant confratres quantum illis lubet, associare cadaver absque Feretro, non per hoc insepultum, atque sine debito honore remanebit.

9 Si vero adsit Capitulum in associatione funeris, spectat ad primam illius dignitatem, non vero ad Capellanum Capituli aspergere, et inchoare exequias, caeteris respondentibus. Atque fit haec aspersio cum aqua benedicta, ne Daemones Fidelium Orationes impediunt, et Defunctis illudant, ac vexentur, Rational. *Div. Off. l. 7. c. 35. num. 3.* Insuper hoc fit, ut desiderium nostrum exprimamus, quo Animas Defunctorum, caelesti rore aspergi optamus, unde ardor illis Purgatorii ignis mitigetur, et omnino extinguatur S. Thom. *Quodlibet. 3. Art. 21.*

10 Psalmus *De profundis, etc.* ab Ecclesia assignatus est ad levamen Defunctorum, quoniam precamur in persona Animae in Purgatorio detentae: et omnia illi optime quadrant; nam et Animae illae sunt in quodam profundo, et ascendere cupiunt. expectantes misericordiam Dei per Redemptoris nostri pietatem, Bellarmin. in *Psalm. 129. Argument.*

11 Versiculi *Requiem aeternam, etc.* Michael Timoth. in *q. 300. c. 7.* apud Gavant. *p. 2. sect. 9. c. 2. num. 3.* et Corsett. *Ind. Rat. verb. Requiem,* volunt Autores Apostolos: tantae antiquitatis est in Catholica Ecclesia.

§. III. Deinde cadaver effertur, Parochusque de domo procedens, statim gravi voce intonat Antiphonam: *Exultabunt Domino, etc.* et cantores inchoant Psalm. *Miserere, etc.* Clero alternatim prosequente. Ac si longitudo itineris postulaverit, dicantur Psalmi Graduales: *Ad Dominum, etc.* vel alii Psalmi ex Officio mortuorum: et in fine cujusque

Psalmi dicitur: *Requiem, etc.* qui Psalmi devote, distincte, gravique voce recitari debent usque ad Ecclesiam.

12 13 14 15 Effertur Cadaver in suo Feretro: circa quod sciendum est, quod non omnes, qui elevant Feretrum, efferunt illud: si sit Cadaver Personae insignis, et in dignitate constitutae, elevatur primum a Personis dignioribus, et ejusdem gradus, si fieri potest: sed immediate extra januam Domus effertur a Portitoribus consuetis usque ad Ecclesiam: de Laicis non efferendis a Clericis, et de Sacerdotibus non efferendis a Laicis diximus satis in *Titulo de Exequiis*, §. 16. Pro quo notari debet usus nonnullarum Regionum habendi Doctorem itineris pro hac funeris Processione, juxta *stat. Cleric. Urbis*, c. 6. §. 26. in *addit.* cui dandam esse aliquam mercedem resolvit *Congreg. particularis habita in Palatio Cord. Acciajoli die. 20. Aprilis 1704.* allegat. ab Ursaya, T. 5. p. 2. d. 21. n. 168.

16 Ex illis verbis *Gravi, voce, etc.* apparet quod isti Psalmi cantari non debent tono Gregoriano, sed recitari semper eadem voce. Alia dicemus in fine hujus Paragraphi, circa hunc cantum.

17 Atiphona, *Exultabunt Domino, etc.* est illa, quae incipit Laudes in Officio Defunctorum, et praecedit semper Psalmum, *Miserere, etc.* de quo alias verba fecimus in *Sacramento Poenitentiae*.

18 Psalmi Graduales sunt quindecim a Psalmo 119. usque ad 133. inclusive per ordinem Psalterii. Primus horum est: *Ad Dominum cum tribularer, clamavi, etc.* Dicuntur Graduales, vel Graduum. Juxta Theodoretum intelligi debent ad litteram de ascensione Judaeorum de Babylone in Jerusalem, Spiritu Sancto per os David praecinente calamitatem captivitatis Babylonicae, et laetitiam liberationis. Alii putant, et asserunt, hos quindecim Psalmos cantari solitos in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis: tot enim fuisse illos gradus scribunt, non solum Lyranus, et recentiores, sed S. Augustinus, in Psalmum postremum. Quidquid sit de istis duabus opinionibus, illud certum est, Ascensiones istas, sive de Babylone in Jerusalem, sive per gradus Templi Salomonis, figuras fuisse Ascensionis electorum, qui ver Virtutum gradus, et praecipue charitatis, de valle lacrymarum ascendunt ad caelestem Jerusalem; Utique Psalmi sunt pleni affectuum erga Deum, et illorum proprii, qui se peregrinos, atque exules in Terra inimicorum esse cognoscunt, et modo exilii aerumnas desunt, modo ad Patriae requiem suspirant: semper autem se ad ascendendum, et in via Domini proficiendum accendunt,

Bellar. in *Psalm. 119. Argum.* atque ideo in funere associando assignantur, quia de Ascensione Animae sermo est.

19 20 21 22 23 Radulphus allegatus a Gavanto, T. 7, sect. 9. c. 3. n. 3. *propos.* 21. meminit, et notat, primos quinque Psalmos dici pro Defunctis, alios quinque pro nobis ipsis, et Amicis; postremos denique pro omnibus Fidelibus. Quinque primi habent pro conclusione *Requiem aeternam, etc.* alii, *Gloria Patri, etc.* Sed si canantur in associatione funeris semper concluduntur cum *Requiem aeternam*; quia omnes pro suffragio Defunctorum in hoc casu recitantur. Ubi notandum, quod dum defertur Cadaver ad Ecclesiam, in fine Psalmorum dicitur *Requiem, etc. dona ei Domine, etc.* Sed quando cantatur Officium pro uno, aut pro pluribus in Ecclesia, semper dicitur *dona eis, etc.* ut refert Fagiol. *Kalend. perp. in fine.*

24 Devote, et distincte, gravique voce recitari debent isti Psalmi, ergo non tono Cantus Gregoriani, quia quamvis secundus tonus sit gravis, et flebilis, attamen vocem extollit diversimode, diversasque notas tangit, quae non unisonam vocem formant, nec semper gravem: De facto mos est recitandi semper simpliciter hos Psalmos, non autem canendi.

25 Aliqui in funere associando utebantur Musico cantu, et sonitu instrumentorum Musicalium, quae feretrum subsequebantur cum cantu Psalmorum, et hoc pacto ad Ecclesiam Cathedralem Ferrariae associatum fuit Cadaver Josephi Fioravanti Canonici anno 1725. omnibus admirantibus. Sed cum hanc associationem tali pacto faciendam, idem Canonicus supremis tabulis decrevisset, plene adimpleta fuit ejus voluntas: quod sane factum non fuisset posteriori anno, post Decretum Concilii Romani sub Benedicto XIII. hos musicales cantus in funeribus prohibens.

26 27 28 Superest ut aliquid etiam dicamus de sonitu Campanae, qui fieri solent ab Ecclesia, in qua tumultandum est Cadaver, dum ad sepulturam defertur. Campanae dicuntur Praedicatorum species, ut notat Lap. *alleg. 12. n. 4.* et hic vere de morte praedicant. Earum sonitus a Textu nostro non assignatur, et tamen passim, et communiter in usu est, ut ab illo moneantur Fideles ad orandum pro anima Defuncti, et ad Cadaver associandum, seu ad interessendum exequiis, condito, Cadavere in Ecclesia.

29 30 Quamvis Campana dignior denotet majorem dignitatem Personarum, pro quibus pulsatur, Corsett. *concl. 1. vers. Campana, num. 457.* regulariter tamen, et communiter Campana majore utuntur ad dandum hoc signum, ut longius, quam fieri possit, a Fidelibus audiatur: Et incipit sonus statim ac Cadaver de domo procedit; vel si longitudo itineris id non consentiat, statim ac audiuntur voces psallentium, vel comiti-

na associantium appareat, et finem habet statim ac Cadaver in Ecclesia depositum est.

31 32 33 34 Cum Cadaver pervenerit ad Ecclesiam, si Regularium est, et Parochus non sit illius Ecclesiae, ipse Parochus in januis illius tenetur dare Cadaveri ultimum Vale, ex *Decr. S. C. Concil.* allegat. ab Ursaya, *d. T. 2. p. 1. d. 18. num. 26.* quia Parochi jurisdictione supra Defunctum durat quousque transeat in aliorum jurisdictionem, non transit autem in Jurisdictionem Regularium nisi quando pervenit ad fores eorum Ecclesiae, Pasqualig. *ad Laur. de Franc. de contr. n. 1591.* Si vero adsit Capitulum cum Cruce elevata, potest ingredi Ecclesiam, juxta speciale privilegium, de quo Samuel *de Sepult. T. 1. disp. 3. contr. 3. concl. 6. num. 29.* Sed absente Capitulo, Parochus in Ecclesiis Regularium nullam habet jurisdictionem: potest tamen illas ingredi, et ibi permanere, sed tanquam persona privata, et sicut caeteri de populo. *S. R. Congr. in Mantuan. Funerum 21. Nobembr. 1699.* apud Panimoll. *d. 1. annot. 10. num. 22.* Ultimum Vale supradictum fit cum aspersione Aquae Benedictae per Parochum supra Cadaver, et supra Populum, sine ulla Cadaveris depositione, et absque ulla mora illius, et ex Attestatione Parochorum Urbis allegata ab Ursaya, *T. 3. p. 1. d. 31. num. 7.*

Hic locus est, ut fiat distributio Quartae Funeralis, et tum Parochus Cadaveris, tum Parochus sepulturae, seu Regulares suam sibi statutam Cereorum portionem cognoscant. Diu agitata fuit quaestio haec de Quarta Funerali inter Canonistas, sed semper novae oborae sunt difficultates: quibus tandem perpetuum silentium imponere volens Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII. *in suo Concil. Romano, Tit. 8. c. 5.* decrevit omnimode hanc Quartam Funeralem Parochis a Regularibus solvendam fore: quod Decretum contemporanea Constitutione. *Romanus Pontifex,* corroboravit, quae est VI. in eodem Concilio inserta: sed quia adhuc novae interpretationes oriebantur tam Sanctam Constitutionem deturbantes, ideo data opportunitate Privilegia ampliandi, et confirmandi Sacro Ordini Praedicatorum per novam Constitutionem, *Pretiosus* mentionem quoque et novam suae intentionis explicationem circa hanc Quartam Funeralem in hac Constitutione, sub §. 67. inseruit hoc pacto: "Per nostram Constitutionem, *Romanus Pontifex,* ac etiam Decreta novissimi Romani Concilii, injunximus, Parochis solvendam esse Quartam Funeralem in Italia nimirum, et Insulis adjacentibus, ab omnibus, et quibuscumque Regularibus quoquomque privilegio suffultis, et Regulares Ordinis S. Dominici utriusque sexus, in eisdem Italia, et adjacentibus Insulis reverenter pro consueta ipsorum erga Apostolicam Sedem obedientia Dispositioni nostrae, ut debent, observantur, prout etiam volumus, et mandamus in posterum ser-

"vari, ita quidem, ut Regulares praedicti ei tantummodo, ad  
"cujus Parochiam spectavit Defunctus, realiter, cum effectu,  
"et sine ulla prorsus controversia tradere teneantur unam ex  
"quatuor partibus (quam proprio nomine *Quartam* appellavi-  
"mus) omnium Intortitorum, et Candelarum, quibus Defuncti  
"cadaver in itinere ad eorum Ecclesiam tumulandam associa-  
"bitur, necnon omnium Intortitorum, et Candelarum, quae in  
"eadem Ecclesia circa Cadaver, seu Feretrum, ac etiam in Al-  
"taribus in die funeris accendentur, retentis tamen sibi Cande-  
"lis manualiter per viam delatis, una cum omnibus Intortitiis,  
"Candelis, aliisque, de quibus in ea Constitutione mentio ex-  
"pressa facta non fuit: quae Regularibus prorsus illaesa, et in-  
"violata perpetuo manere volumus, decrevimus, ac mandavi-  
"mus. Ubi vero adsint consuetudines legitimae probatae,  
"Conventiones, Concordiae, vel Statuta, quae Parocho portio-  
"nem Quartam praedicta pinguiorem assignent, hanc eandem,  
"prout ante nostram praedictam Constitutionem, ac etiam Con-  
"cilium Romanum, dare pergant, et teneantur. Quum vero  
"mentis, et intentionis nostrae in ea edenda Constitutione fue-  
"rit consulere quidem Parochorum indemnitati, ad hoc nimi-  
"rum, ut ii, qui nihil, vel Quarta minus percipiebant, eandem  
"Quartam consequi possent, non autem, ut quis majus emolu-  
"mentum, seu plus Quarta praedicta ex consuetudine, Con-  
"ventionem, Concordia, vel Statuto reportabant, aliquid aliud prae-  
"terea vigore nostrae dictae Constitutionis, aut etiam Concilii  
"Romani sibi arrogare possent, volumus propterea, ut iidem  
"Parochi, vel praecise perciperent statutum a novis Quartam  
"partem, vel tantummodo staret Consuetudini, Conventioni,  
"Concordiae, sive Statuto, ut praedictum est. Ne autem su-  
"per hujusmodi clara caeteroquin intelligentia nostrae Consti-  
"tutionis, et Concilii Romani, ullo unquam tempore exitari va-  
"leat antiqua difficultas, expresse ita declaramus dictam nos-  
"tram Constitutionem, et Decreta Concilii Romani, simulque  
"motu, scientia, et potestate praedictis volumus, praecipimus,  
"et mandamus, ut iidem fratres Parocho relinquunt optionem,  
"vel eligendi Quartam partem praedictam, vel standi Consue-  
"tudini, Statuto, Concordiae, seu Conventioni, eamque pacifice  
"sequantur, ut suae ipsorum quieti religiosi juxta eandem men-  
"tem nostram consulant; Parochi vero semel factam optionem  
"immutare nullatenus possint, aut valeant, etc. Dat. Setia  
"1727. 7. Kalend. Junii."

Huic Constitutioni derogavit Clemens XII. illam ad puros terminos Juris communis redigens, proinde ac si dicta Constitutio minime emanata fuisset, prout narrat P. Cavallarius in *Agenda mortuorum Cap. 15. de exeq. Adulorum decr. 55. cap. in ordine 167. fol. 276.* de recenti vero, nempe sub die 18. Septemb. 1751. S. C. Concilii huic quaesito *Bononien. ferendum,*

*An in associando cadavera sepelienda in Ecclesia S. Petri Minorum de Observantia Terrae Centi liceat Parocho ingredi cum Stola et Cruce elevata, seu potius tenetur ad ejusdem Ecclesiae fores sistere, ibique ultimum vale defuncto dare, in Casu etc.*

Respondit Negative ad primam partem. Affirmative adsecundam.

Cui decreto locali paritum est pro prima vice hac die 4. Decembris 1751. per Parochos Ecclesiae Collegiatae S. Blasii, et SS. Sebastiani et Rochi ejusdem oppidi Centi, in associando Cadaver Jacobae Troni de Gratis.

§. IV. Ad ingressum Ecclesiae repetitur Antiphona: *Exultabunt Domino, etc.* Deinde Ecclesiam ingressi, cantant Responsorium, Cantore incipiente, et Clero alternatim respondente, videlicet, *Subvenite Sancti, etc.*

35 36 Preces, et Psalmi, qui cantantur in Processione, terminum suum habere debent ad fores Ecclesiae, adeo ut si neque ultimus Psalmus expeditus sit, obtruncetur, et dicto *Requiem aeternam, etc.* et repetita Antiphona, *Exultabunt Domino, etc.* illico ac cadaver Ecclesiam ingreditur, alta voce cantetur Responsorium *Subvenite, etc.* Ubi notandum est, quod vere in hoc loco utendum est cantu Gregoriano, tum quia de Cantore fit mentio, qui debet esse Hebdomadarius, si adsit Collegiata, vel Capitulum, vel Regula Fratrum, sin minus, sit alter, qui Cantoris sibi Ministerium adsiscat; tum quia Textus expresse dicit *Cantant*, ac demum quia istud Responsorium suis notis musicalibus, seu Gregorianis in Libro Rituali est exaratum, ut cantetur.

37 Observandum est hoc loco, quod Cadavera illorum, qui sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, non sunt prius transportanda ad Ecclesiam Parochialem, ut respond. *Sacr. Rit. Congr. in Baren. de Annis* 1595. 1616. 1618. et in *Nepesina* 11. Decembris 1615. et 14. *Januar.* 1613. Testibus Nald. in *Summa, verb. sepultura, num.* 13. Pignatell. *cons.* 48. n. 8. T. 3. et alii apud Ursaya, T. 1. d. 28. num. 70.

§. V. Deposito Feretro in medio Ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit Laicus, sint versus Altare majus; si vero fuerit Sacerdos, ut dictum est, caput sit versus ipsum Altare: cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid im-

pediat, ut infra monebitur, dicatur Officium mortuorum, cum tribus Nocturnis, et Laudibus, ut infra ponitur: et duo ex Clero incipiant absolute Invitatorum, *Regem, etc.* et repetitur a Choro, *Regem, etc.* Ps. *Venite, etc.* et duplicantur Antiphonae. Ad finem Officii post Antiphonam, Canticum, *Benedictus, etc.* dicitur, *Pater noster, etc.* secreto. Oratio, etc.

38 39 In explicatione *Tituli de exequiis ad §. 17.* satis diximus de modo collocandi Cadavera tum Laicorum, tum Sacerdotum in Ecclesia. Modo dicendum remanet de loco, in quo Cadavera ponenda sunt. Textus satis clare loquitur, dum dicit: *in medio Ecclesiae.* Sed superenunciatus *Titulus de exequiis*, advertit id, quod in hoc loco, quamvis non exprimaturn attamen subintelligendum est, nempe quod si adsit impedimentum aliquod in medio Ecclesiae, vel consuetudo, et mos sit in contrarium, Cadavera deponi possint in Oratoriis, aut Cappellis cum pedibus ad illarum Altaria Conversis, nisi Cadavera sint Sacerdotum. De facto mos est in Cathedrali Ferrariae deponere ista Cadavera, nisi fuerint Episcoporum, vel Canonicorum, non in medio Ecclesiae, sed in lateralibus Cappellis, ubi fiunt exequiae, et aliae caeremoniae, usque ad sepulturam.

40 Est locus hic, ut aliquid dicamus, de modo deponendi Feretrum, seu Cadavera. Generaliter loquendo, Cadaver in suo Feretro collocatum supine jacens exponitur in locis consuetis cum insignibus gradus sui, quicumque sit, ad latera, et ad pedes depositis: ex. gr. si Cadaver fuerit Cardinalis, ponitur Galerius purpureus ad pedes: si simplex Episcopus, Galerius sui gradus: si Cononicus, Caputium: similiter si Mansionarius, si Beneficiatus, Caputium, sive almutium: si Doctor, libri: si Dux vel Militiae praefectus Baculus, seu Vexillum. Demum, quicumque gradus sit Cadaver, ejus Insignia exponere non deceat honoris gratia, dummodo Insignia haec sint honorifica, non autem Vilia, ut Malleus pro Fabri Cadavere, Subula pro Caligario, Torcular pro Typographo.

41 Veniunt etiam sub hoc sensu intelligenda Stemmata gentilitia hodie omnibus communia, quae a Feretro pendentia, vel in terram strata exponi solent, et in Ecclesia tolerantur, etiam absente corpore Defuncti, eo modo quo permittuntur appensa muris tum interioribus, tum exterioribus, et ad Valvas Ecclesiarum. Vide fusius Casal. *de Funerib.* et Lavor. *verb. Insignia.* Cujus juris esse postea debeant ista ornamenta, vide Barbos, d. p. 3. c. 25. n. 44.